

cantia non tendunt ad rem existentem in se, nec dependent ab existentia objecti, sed in ipsa proportione actus cum objecto ut apprehensibili, vel appetibili, vel factibile consistit, quod sine existentia objecti stare potest, per species enim, aut apprehensionem, aut virtualementiam id suppletur. Super hanc autem transcendentem habitudinem actus, vel habitus ad objectum fundari potest relatio prædicamentalis ad objectum non ut præcise specificans, sed ut existens, et existendo terminans actualem, et existentem relationem, et hæc est ejus quidditas, et talis relatio sic fundata ad objectum existens erit relatio mensurationis realis, sed in hac non consistit specificatio actus, quia potest adesse, et abesse. Sed mensuratio illa transcendentalis, et specificativa, et quæ constituit speciem actus, etiam in linea morali, ut explicatum est præcedenti disputatione.

XXIX. Ad fundamenta Vazquez sæpe responsum est: In primis relatio ista conformitatis, et bonitatis moralis potest esse ad objectum non existens, et sic non est relatio prædicamentalis, et secundum esse; hoc tamen non tollit quod sit relatio transcendentalis, vel secundum dici, qualis est ipsa proportio, et tendentia actus, vel habitus erga objectum, circa quod constat posse dari actum, vel habitum, etiam si objectum existens, aut præsens non sit: sicut ergo non probat argumentum Vazquez non dari actum realem circa objectum non existens, ita nec probat non dari moralitatem realem actus erga objectum non existens, cum illud ipsum objectum non existens possit esse mensuratum, et subordinatum regulis rationis, ac per hoc, sicut per realem tendentiam actus fertur, et specificatur ab objecto non existen-

te, sed apprehenso, ita per eandem tendentiam potest respicere, et attingere idem objectum ut mensuratum regulis rationis, et sub hac ratione, et respectu moralis dici, hoc est mensuratum, et regulatum ipsemet actus sic respiciens objectum.

XXX. Quod vero dicitur actum in ratione moralis dependere a iudicio, ab advertentia, a lege, a potentia indifferenti, quæ omnia illi extrinseca sunt respondeo, ab omnibus istis dependere moralitatem actus tamquam ab extrinsecis conditionibus, et requisitis, non quidem ut extrinsecis in denominando, quasi ab illis proveniat extrinseca denominatio in actum, sicut visum in pariete a visione in oculo, sed sicut extrinsecis in specificando, aut causando actum, aut ut conditionibus objectum ipsum afficientibus, quibus tamen positus, actus ipse per realem tendentiam, et habitudinem tendit ad objectum sic affectum, quia (ut sæpe diximus) etiam si ex parte objecti aliquid se habeat ut privatio, aut ens rationis, aut denominatio extrinseca, potest reali actu attingi, sicut tam multa ficta, et chimerica, etiam reali actu componimus, et attingimus. Sic ergo actus moralis dependet a potentia indifferenti, et libera, dependentia reali, quia ab ipsa egreditur, et causatur realiter, omnis autem effectus dependet a sua causa realiter. Quod vero causa sit indifferens, et libera non tollit hanc realem dependentiam, sed auget (ut supra diximus tractando de actibus humanis) quia ex hac indifferentia, et libertate habet actus ita procedere a voluntate, quod posset non procedere, et potest ab ipso cessare si velit; hoc autem majorem importat dependentiam in ipso actu a tali causa; a qua dependet in fieri, et conservari, et consequenter realem processionem, sine qua dependentia non est.

XXXI. A positione, vel mutatione legis dependet actus, non quia realiter procedat a lege, aut lex ponat aliquid reale in actu, vel objecto, nisi tantum denominationem extrinsecam, sed tamen hæc denominatio extrinseca se habet in objecto ut conditio requisita ut objectum dicatur mensuratum, et conforme regulis rationis, quæ sumuntur ex lege, sed tamen in objectum, sic mensuratum, et subordinatum legi, ab eaque mensuratum fertur actus realis voluntatis per realem tendentiam, quia etiam id quod est rationis, vel privationis, aut denominationis extrinsecæ potest ferri voluntas, aut intellectus reali actu: sicut aliquis appetit alteri mortem, quæ est privatio, desiderat sibi dignitatem, vel jurisdictionem, quæ est extrinseca denominatio, considerat et fingit entia rationis, quæ sunt aliquid fictum.

XXXII. A iudicio, et advertentia rationis dependet actus voluntatis realiter eo modo, quo dependet ab objecto suo, eo quod objectum non pertinet ad voluntatem, nec ab ea attingitur, nisi ut apprehensum, et cognitum, et sic esse cognitum, et propositum per iudicium, et advertentiam rationis est conditio necessaria ut objectum sit objectum, et attingatur a voluntate. Unde sicut voluntas reali actu fertur in objectum, ita fertur in ipsum ut cognitum, et apprehensum, ita tamen quod esse apprehensum est conditio, objectum autem est specificativum, et sic realis actus voluntatis dependet ab apprehensione, et iudicio tamquam a conditione, ut actus ipse realis specificetur ab objecto, et realiter tendat in ipsum. Et licet ista apprehensio, et iudicium nihil ponat in ipso actu immediate in illum influendo, ponit tamen saltem mediate, quia objectum ejus reddit aptum, et habile, et

ponit in illo conditionem requisitam ut possit esse objectum voluntatis; objectum autem influit in actum tum specificando, tum finalizando; unde si objectum non influit nisi posita apprehensione ut conditione, dicitur mediante objecto ipsa apprehensio, seu iudicium, et advertentia influere, et ab ipsa actum dependere ut a conditione.

Denique ad id quod dicitur, regulationem rationis in ipso objecto non esse aliquid reale, sed rationis, fatemur: dicimus tamen bene posse actum realem voluntate ferri realitatem, seu reali volitione, et actu in objectum, quod est aliquid rationis, aut subest alicui denominationi rationis, ut multis exemplis manifestis est ostensum: sicut enim intelligimus actu reali multas res fictas, quia sufficit habere veritatem emendicatam, et ad instar entis realis, ita potest appetitus ferri in res fictas, aut quæ important denominationem extrinsecam, quia habent emendicatam bonitatem a suo fundamento in quo fundantur, quod aliquid reale esse solet, vel habent apparentem bonitatem, et non veram sicut peccata, quæ tamen movent voluntatem, et erga illa objecta habet actum realem.

ARTICULUS II.

Utrum species mali moralis, seu peccati consistat in relatione positiva deformitatis; an in privatione rectitudinis?

1. Solet hæc difficultas, quæ valde celebris est, tractari a multis infra quæst. LXXI, art. VI, ubi agitur de peccato, et ejus definitione, in quo constat. Nos explicando species moralitatis, non potuimus illam excludere ab isto loco, quia sicut egimus de bonitate morali, in quo consistat,

ita oportet agere de altera specie moralitatis, quæ est malitia, per quid constituatur in linea, et specie morali.

II. Suppono duo tamquam certa. Primum est duplex esse peccatum, seu malum morale, scilicet commissionis, et omissionis, quæ differunt non ex parte motivi, et rationis formalis, imo in hoc possunt convenire, et esse ejusdem speciei peccatum commissionis, et omissionis, ut docet S. Thomas infra quæst. LXXII, articulo VI, sed differunt ex parte operationis et actus, quia commissio fit per elicentiam actus positivi peccaminosi, omissio per cessationem ab actu. Unde malitia moralis fundatur in commissione in ipso actu positivo, et ex ipso pullulat et erumpit, in omissione autem fundatur in ipsa voluntate cessante ab actu, et divertente ad aliud, quando tenetur, et potest operari.

III. Concurrunt autem in actu malo morali commissionis, tria. Primum est, ordo ipse, et habitudo positiva actus erga objectum suum; secundum, privatio rectitudinis, id est, conformitatis, et recti ordinis ad rationem; tertium est dissonantia, seu relatio disconvenientiæ ad naturam rationalem; prout ratione gubernatur: sicut enim convenientia relatio conformitatis est, ita disconvenientia est relatio dissonantiæ. Et quidem hoc tertium inveniri in actu peccati manifestum est, quia malum morale cum sit malum mensurationis, et ordinis in ratione, est malum relate, scilicet respectu alicujus naturæ, cui tale malum disconveniens est, et talis mensuratio dissonat, scilicet respectu naturæ rationalis, cujus proprium est deduci ratione. Secundum constat necessario pertinere ad actum malum, quia malum intelligi non potest nisi cum defectu aliquo a bono, et perfectione debita tam in malo mora-

li, quam naturali. Cum autem ut dicit D. Thomas in hac quæstione XVIII, art. I, actio dicatur bona ex plenitudine essendi, quia habet omnem perfectionem sibi debitam, actio per oppositum debet dici mala, quia non habet plenitudinem essendi, et consequenter aliquid illi deest de perfectionibus debitis: non potest ergo intelligi malum, nisi adsit aliquis defectus, et privatio boni.

IV. Denique illud primum dari in peccato commissionis constat, quia peccatum commissionis fit per aliquem actum in ordinatum, sicut peccatum omissionis per carentiam actus debiti; actus autem intelligi non potest sine ordine aliquo positivo ad suum objectum, nec recessus ab aliquo fine sine accessu ad alium. Omissio autem secundum se tali ordine caret, quia est carentia actus. Et tamen quia non datur omissio in exercitio per totalem suspensionem actus (ut supra disputatione tertia ostendimus) idcirco etiam omissio in quantum voluntaria, et moralis in exercitio non datur sine aliquo ordine ad objectum saltem præsuppositive, aut concomitanter, quia non datur sine aliquo actu non constituyente omissionem in sua specificatione, sed causante, vel concomitante.

V. In præsentibus ergo non est difficultas de malitia morali prout in omissione considerata secundum se et ex specie sua præcise; constat enim talem malitiam illius non consistere, nec ad illam concurrere ordinem positivum ad objectum, quia iste ordo solum invenitur in actu tendente positive ad objectum, non in eo quod est negatio actus quo actu remoto, cum tota malitia consistat in carentia actus, consistet etiam in carentia ordinis ad objectum. Sed difficultas est, quando malitia invenitur in actu dicente positivum or-

dinem, et tendentiam ad objectum, an talis ordo ex eo, quod præcise est ad objectum deordinatum, et malum induat rationem formalem malitiæ moralis, et non solum ratione privationis rectitudinis, quam fundat, licet hæc omnino requiratur ut fundata in tali deordinato respectu. Requiritur enim privationem illam dubitari non potest; an vero ut ratio formalis malitiæ; an ut consecuta, et necessario requisita ad ipsam malitiam, dubium est.

VI. Secundo suppono, actum malum morale non importare formaliter aliquid complexum, aut compositum ex pluribus, sed actum elicatum, qui incomplexè significatur, ut furari, mœchari, seu actum volendi illa. Quod perperam negavit Gregorius in secundo, dist. XXXIV, levi fundamento ductus, quia scilicet peccare est contra rationem agere, et prohibitio legis est, ne fiat actus talis, vel talis, quod totum oratione complexa explicatur, non simplici termino, nec enim prohibetur actus, aut potentia in se, sed ne potentia faciat actum. Cæterum hac ratione etiam actus virtutis erit aliquid complexum, quia talis actus est facere secundum rationem, et præcipitur ut aliquis faciat talem, vel talem actum, aut de eo consilium datur. Negari autem non potest, quod voluntas eliciat vere, et realiter actus liberos morales, qui pertinent ad virtutem, vel vitium, et isti actus non sunt aliquid complexum, sed simplices qualitates, licet possint habere pro objecto aliquid complexum, aut plures conditiones requisitas, quas omnes unus simplex actus attingit: sicut unus actus visionis aut intellectus plura objecta attingit inadæquata sibi. Et tamen ex talibus actibus, et objecto, vel ex ipsis, et subjecto potest resultare aliquid compositum significabile oratione complexa, si-

cut quod subjectum sit intelligens, aut volens; sit album, vel nigrum. Sed hoc est commune omnibus accidentibus, et actibus, nec tamen propterea negandum est dari actus, vel accidentia incomplexa, quæ sint simplices entitates, et formæ afficientes subjectum.

PUNCTUS DIFFICULTATIS ET VARIE SENTENTIÆ.

VII. Punctus difficultatis in hac parte non ita facile constat propter diversam aliquorum considerationem in actu peccati. Nam revera in actu peccati, et datur ordo ad suum objectum, tam in esse morali, quam entitativo, et datur in ipso actu, seu resultat privatio rectitudinis, et relatio dissonantiæ, et difformitatis ad naturam rationalem, et regulas rationis, cujus privationis, et relationis concretum, seu subjectum, et fundamentum est ipse actus, utique in se constitutus cum attingentia ad objectum, sine qua non constituitur actus. Et in hoc concreto id quod tenet se ex parte actus, est quasi subjectum denominative affectum a privatione, et relatione dissonantiæ: formale autem est ipsa privatio, et relatio afficiens, et denominans actum. Qui ergo considerant actum per modum talis concreti, in eo non possunt ponere pro formali nisi privationem, vel dissonantiam. Qui considerat ordinem ad objectum, dicunt moralem speciem resultare ante talem privationem ex solo ordine ad objectum.

VIII. Sic ergo vertitur tota difficultas in duobus. Primum, quod pertinet ad quæstionem de re; secundum ad quæstionem de nomine. Quæstio de re est, an in peccato commissionis illa positiva conversio actus ad objectum ex qua sequitur relatio dissonantiæ ad ratio-

nem, et recessus a debito fine, et privatio rectitudinis in actu sit in se, et prout tendit ad objectum inordinatum, constituta in specie mali moralis, ita quod sufficiat ad constituendam malitiam per modum contrarietatis ad virtutem, et sub hac ratione non sit a Deo, licet totum quod entitatis positivæ est in ratione effectiva a Deo sit; an vero non constituatur malum in ratione formalis per illam tendentiam, quousque privatio intelligatur in ipso actu, atque ut uno verbo dicam, difficultas est, an ordo positivus ad objectum fundans privationem; an vero privatio fundata sit constitutum formale mali moralis, et speciei hujus condvisæ contra bonitatem moralem.

IX. Quæstio de nomine est circa denominationem peccati, utrum actus sit dicendus peccatum, possitque denominari malum formaliter in vi conversionis positivæ ad objectum malum; an in vi privationis consecutæ, conversio autem illa positiva ad objectum pravum solum fundamentaliter sit, et denominet peccatum. Nam ly formaliter est æquivocum ad constituere, seu esse complementum rei constitutæ, et quasi modus ejus, nam etiam esse modum, et complementum formalitas quædam est; sicut obscuritas in fide formaliter se habet, cum formaliter excludat evidentiam, non tamen formaliter constitutive, sed complementivæ. Stat autem bene, quod id quod est formale respectu unius sit solum fundamentale, et materiale respectu alterius, et sic quando actus intelligitur converti ad objectum pravum positivo ordine, et tendentia, formaliter intelligitur converti, sed fundamentaliter deviari, et averti, et privari. Quando autem formaliter privatur, et avertitur, intelligitur complete denominari malum, et pec-

catum. Et ideo potest appellari formaliter peccatum ratione ordinis, et conversionis ad objectum pravum, a quo accipit specificationem actus in bono, vel in malo; et potest etiam appellari peccatum formaliter ratione privationis tamquam ratione complementi, quo ultimate redditur actus defectuosus. Et prima formalitas præsupponitur ad secundam, et est radix, et fundamentum illius, quia non privatur actus bonitate, nisi quatenus præsupponit conversionem, et respectum ad objectum pravum. Unde ab aliquibus vocatur peccatum fundamentaliter, ab aliis formaliter, quia primi attendunt ad rationem privationis, cujus est fundamentum et principium; alii vero attendunt ad specificationem ab objecto, respectu cuius se habet formaliter, et constitutive ipse ordo, et tendentia ad objectum.

X. Ex his formatæ sunt quatuor præcipuæ sententiæ. Cum enim in peccato commissionis concurrant illa tria, scilicet ordo ad objectum, privatio rectitudinis, et dissonantia ad rationem, et ad ipsam naturam rationalem, quidam constituunt formale peccati in privatione rectitudinis, positivum vero ordinem pro fundamento, non pro formali constitutivo mali moralis ponunt. Hanc sententiam tuetur Scotus in secundo, dist. xxxvii, quæst. 1, §. Istæ quæstiones, et in quod libeto xvi, §. De primo prope finem; estque communis inter Scotistas: sequuntur eamdem Durandus in secundo, dist. xl, quæst. 1, num. v et in iv, dist. xvii, quæst. vii, num. cxli; Gabriel in secundo dist. xxxv, quæstione unica, art. ii, et aliis locis. Et sequuntur aliqui recentiores, Lorca disp. xxv, Becanus tract. 1, cap. v, quæst. 1; Montesinos, et alii.

XI. Secunda sententia eligit pro formali peccati, seu mali moralis

ordinem positivum ad objectum ut deordinatum, et contrarium bonitati, quæ contrarietatis positiva, est fundamentum privationis rectitudinis in actu. Ille autem ordo, et conversio ad tale objectum aliquid reale est in actu, nec enim actus tendit in objectum secundum respectum transcendentalem, et specificativum, nisi per suamet realitatem quæ servit pro attingendo illo est sive ordinationis, nec alio superaddito tendit actus ad objectum quam se ipso. Hanc sententiam tuetur Cajetanus in hac quæstione xviii, art. v, et infra quæst. lxxi, ar. vi, et in secunda secundæ, quæst. vi, art. ii. Et sequuntur plures ex Thomistis recentioribus, et Curiel tractatu de peccatis, quæst. lxxi, art. vi, dub. 1.

XII. Tertia sententia eligit pro ratione formali constitutiva peccati relationem dissonantiæ, seu disconvenientiæ ad rationem, et naturam rationalem, quod nihil reale ponit in ipso actu, sed denominationem extrinsecam a lege, et regulis rationis, ita quod actum esse bonum moraliter est esse regulatum conformiter ad istam regulam et legem, esse autem malum est esse non regulatum, sed dissonum, et aversum ab ipsa, sicut pecunia probata est, quæ habet valorem, et pondus taxatum a lege, pecunia vero falsa est, quæ talem valorem, aut pondus non habet. Hæc est sententia Vazquez 1-2, disp. ccxv, cap. x.

XIII. Ultima sententia ponit utrumque pro formali peccati, scilicet tam positivum, quam privativum. Sed cum non possint ista duo ex æquo, et sub eadem linea formaliter constituere peccatum, cum ita distantia sint sicut privatio, et positivum, dividuntur valde auctores hujus sententiæ in explicando quomodo positivum, et privativum concurrant ad constitutionem peccati. Nam quidam assignant privationem

pro genere, et positivum pro differentia, quia omne peccatum ex suo genere dicit aversionem a recto fine; sed species peccati, et differentia ejus ex diverso objecto desumitur: alii utrumque, tam positivum, quam privativum dicunt inveniri, tam in prædicato generico, quam specifico, sed privationem intrinsece, positivum vero ut connotatum, seu ex parte subjecti, et materialis, quod videtur coincidere cum opinione prima Scoti, et Durandi: alii vero e converso, positivum dicunt esse intrinsecum, privationem vero ut connotatum, seu tamquam modum illius, quod attribui solet Capreolo in secundo, dist. xxxv, quæst. 1, articulo iii, in solutione ad secundum, et ad sextum Gregorii, et videtur esse sententia Ferrariensis in tertio contra gentiles, c. ix. Sed tamen hæc sententia nihil differre videtur a sententia Cajetani et aliorum Thomistarum, qui non negant privationem connotari, et consequi ad positivum, quo formaliter constitui dicunt peccatum.

XIV. Fundamenta istarum sententiarum, quæ non constituunt formale peccati in positivo illo ordine ad objectum pravum adducuntur infra; fere enim reducuntur ad unum, videlicet, ne Deus sit causa formalis constitutivi peccati, cum sit causa omnis positivi realis, quod est in peccato.

EX MENTE D. THOMÆ RESOLUTIO.

XV. Licet diversa loca D. Thomæ, tam pro formali privato, quam pro formali positivo peccati soleant adduci, quæ fere æquivocant de formali constitutivo, vel completivo; et sic videntur facile pro una, et altera parte solvi, aut eludi; tamen si profundius ejus mentem meditati fuerimus, invenimus tres propositio-